



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 117. Occasio Mediolanum occupandi a Trivulcio neglecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXVII.

Sæcul. XV.

A.C. 1496.

Occasio Mediolanum occupandi a Trivulcio neglecta.

Inde vero Trivulcii fautores, quos Mediolani sibi adhucdum devinctos tenebat, seditionem concitandi opportunitatem captabant, ac confestim turmas suas per plateas dividunt, ad arma conclamant, nullaque mora facialem ad Trivulcium ablegant, qui eum de moto in urbe tumultu edoceret, ac significaret, eadem si in ipso temporis articulo accurreret, certo urbem fore tradendam: Ast ille segnior ad credendum, patriam suam honorifice recuperandi occasione frustratus est, cum tamen Ludovicus urbem nonnisi quingentis equitibus, peditumque sex millibus munitam teneret, & hæc exigua militum manus Gallorum exercitui, quem seditiosi introduxissent, resistendo impar fuisset.

§. CXVIII.

Maximilianus Neapolis regnum Gennero suo vindicare molitus.

Hoc facto Paulus Fregosus Genuam venit, ultra progredi haud ausus; Cardinalis vero S. Petri ad vincula in itinere a copiis sibi per Trivulcium transmissis derelictus, re infecta redire compulsus